

LIBER TERTIVS.

De Contrapuncto & eius elementarijs vocibus. **C**aput primum.



Armonici modulaminis Genus auctore Baccho est mos vniuersum quid subindicans diuersas in se habens ideas idest exemplaria: seu diuersas cantilenæ compositiones: quod quidem contrapunctum vocamus: quasi concordem concentum extremorum sonorum inuicem correspondentium contraposis notulis: arte probatum. Hunc enim & si certis est regulis institutus: tanto tamen pulcherrimum æstimari licet: quanto euenerit vsui nobiliori. **E**st itaq; contrapunctus ars flectendi cantabiles sonos proportionabili dimensione & temporis mēsurā: Nāq; Melodia ex vocibus constat & interuallis atq; temporibus. **V**ocum autem Alia pedestris qua. s. orationes legimus & loquimur. Alia equestris qua poetica carmina secundum Arsim & thesim enuntiamus. Alia modulata qua & naturaliter & in instrumentis secundum harmonicam canentes aliquid operamur. Hæc enim voces certa dimensione determinata habent interualla. Pedestres indiffinita. Equestris vero quasi quodammodo ex vtriusq; commixta. **I**nteruallorum Alia æquisonis vocibus extremis dupla dimensione intercluduntur. Alia consonis hemiolia & epitrita. Alia ex vtriusq; commixtis tripla dispositione atq; quadrupla. Alia (minima quidem) sesquioctaua. Alia rursus incerta irrationaliq; dimensione extremis vocibus concluduntur interualla: quorum longiorem in harmonia instrumentali prosequemur enarrationem: De his item Guido sic scribit. Ditonus & Semiditonus atq; semitonium & si voces ad canendum coniungunt nullam tamen recipiunt diuisionem. **I**rrationalia igitur & incerta dicimus huiusmodi interualla: quæ in chordotono a tribus primis multiplicibus seuincta sunt: & a prioribus duabus superparticularibus segregata: cum omnem potissime melodicam considerationem vel multiplicitati vel superparticularitati ipsi ascripserint Pythagorici. Hæc enim sunt huic arti con-

